



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Die vigesima prima Iunij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9477**



raneis latuerant, in vnus scrinij schedula reperit scriptum, *Reliquia sanctæ Idæ, virginis & martyris:* cum tam en historia, quæ in manuscripto quodam libro in veteri ecclesia diui Ioannis seruabatur, habeat eam matrem fuisse sanctæ Ursulæ, & de martyrio ipsius nullam faciat mentionem. Sed utcunque hoc est, reliquæ in munda lintea, & in nouum feretrum sunt translata.

## Die vigesima prima Iunij.

### 1<sup>o</sup>. De S. Martino, Apostolo Hasbanorum.

*Ex Breuiario Tungrensi.*

**T**Ungris depositio sancti MARTINI, eiusdem ecclesiæ episcopi & confessoris: qui conuertit Hasbanos: Hic scribitur Tungris obisse anno salutis ducentesimo septuagesimo sexto administrationis vndecimo. Sanctissimus verò Seruatus, qui cathedram Traiectensem transposuit, eundem multis miraculis coruscum, in argentea theca ibidem conclusisse asseritur. Meritò autem nominatur Hasbanorum Apostolus, quia, ut festi eius lectiones habent, Christum in plerisque Hasbania villulis prædicando, populum ab alta cæcitate liberauit. In *Horion* tamen, & prædicationem eius qua indigni erant, reuerunt, & Apostolicum præsulem hospicio excipi prohibuerunt, & contumelijs affectum expulerunt.

2. De.



2<sup>o</sup>. De S. Ingelmundo, patrono in Velsen.

Ex historia Velsana, & literis cum ea missis à domino Simone Iusto Amstelredamo, Velsæ oriundo.

**I**N Hollandia, Velsæ, sancti IN GELMUNDI confessoris. Qui Anglus de stirpe Frisonica cum esset presbyter, & abbas Ordinis sancti Benedicti, temporibus beati Willebrordi, diuino instinctu venit ad fines Hollandiæ: vbi ferocibus & indomitis Kenemarijs verbum salutis prædicauit. Et post multos labores, febris correptus, animam creatori reddidit, & honorificam sepulturam accepit in vico *Velsen*. Vbi etiam præcibus suis aquam de terra produxit. Sanctum autem corpus per mysticam reuelationem creditur \* Valdericus, \* Est Baldricus de Cleue, decimus quintus episcopus Traiectensis adiuu-  
nisse, cum multis alijs corporibus, quibus diocesim Traiectensem honorificè adornauit, anno Domini nongentesimo septuagesimo septimo. Natiua habent antiqua Missalia Calendis Februarij sed à memoria hominum celebratus est in æstate, die vigesima prima Iunij, quando fortè est eleuatus. Est autem *Velsen*, pagus diocesis Harlemensis, vbi sanctus Ingelmundus etiam mea memoria claruit miraculis, & patrociniò contra dentium dolorem. Sed caput auro inuolutum inde ante aliquot annos furto est ablatum. Cæteræ reliquæ postea à Guesijs per pauimentum templi sunt dispersæ, sed à custode collectæ, & in tuto loco conseruata. Ex iam seruantur Harlemi, quia Velsæ omnes ferè ædes cum trabibus ecclesiæ dirutæ sunt & existæ, partim hostili incursione, partim militum Regis necessitate.



*Diuisione*  
3 cap. 11.

Vulgatum Hollandiæ Chronicon confundit hunc confessorum, cum Wicberto martyre: ut apparet. Dicit enim eum martyrizatum esse à Radbodo barbaro Frisonum regē. Sed quæ superius diximus, ea à Velsana ecclesia accepimus, quam hac in parte tutius sequimur, quàm citatū Chronicō.

Quod ad nomen attinet, in collectaneo cuiusdam Carthusiani notatum inueni, In villagio Hollandiæ dicto *Velsen*, coli. quendam sanctum qui lingua patria vocatur *S. Engelmonds*, sed quod credatur, & à quibusdam dicatur esse sanctus Edmundus.

## Die vigesima secunda Iunij.

### 1<sup>o</sup>. De sancto Domitiano, confessore.

*Ex Martyrologio Crispinij*

**I**N pago Hainoënsi, super fluuium Hainam, in deposito sancti DOMITIANI confessoris. Qui beato Landelino in peregrinatione sua comes indiuiduus existens, & ab eodem, in loco eodem, eremita constitutus, multis clarus virtutibus, migravit ad Christum, & modò cum suo magistro felix requiescit Crispinij. In historia S. Landelini commendatur etiam à ministerio & prædicatione verbi Dei.

### 2<sup>o</sup>. De sancta Rotrude, virgine Ghisnensi.

*Ex manuscriptis codicibus Audomarensis oppidi.*

**D**ecimo Calendas Iulij, sanctæ ORTRVDIS virginis. Sic enim habet Martyrologium ad sanctum Bertinum, quo corpus delatum est ex Andrensi